

rivum veterem | et sicut ipse rivus vadit usque Budrachum et sicut ipsum Budrachum vadit¹ usque ad canale de Burchundione et sicut ipsum canale vadit usque ad clusam eiusdem Burchundionis et sicut rivus de Fraseneto vadit ab ipsa clusa | usque ad predictum locum de Pontiore. Et quia fratres ibidem Deo sub monastica professione familliantes² communem vitam agentes de aliorum elemosinis vivere oportet ac beneficentia³, constituimus ut de laboribus quos fratres | eiusdem monasterii propriis manibus aut sumptibus excolunt atque de animalibus que nutriunt nullus ab eis decimas exigat sub aliquo iure quo modo utatur in regno. Concedimus etiam ut quicumque terras eis donare vendere seu | aliquo alio iusto modo conferre voluerit, dandi vendendi seu commutandi liberam habeant² potestatem, sive nostri iuris sit sive incolarum. Hec itaque omnia P....³ venerabili abbati suisque successoribus⁴ nec non fratribus⁵ | ibidem Deo sub monastica professione familiantibus⁶ in perpetuum sine aliqua contradictione usibus² proficiant. Nulli ergo hominum fas sit prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre | vel ablatas retinere minuere seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia, ut diximus, integra conserventur, *salvo tamen per omnia regio et pontificali iure et iusticia*. Si quis autem huius nostri decreti paginam | in aliquo presumpserit infringere, regio banno subiaceat et centum libras auri componat, medietatem camere nostre et alteram partem sepedicto monasterio. Unde hanc paginam sigilli nostri impressione | communimus adhibitis testibus, quorum nomina hec sunt: Peregrinus Aquiley patriarcha. Hillinus Treverensis archiepiscopus. Everh(ardus) Bavenbergensis. Henricus Leodiensis. Conradus Worm(atiensis). Hermannus Constant(iensis). Ortlibus Basiliensis. | Wibaldus Corbeiensis atque Stab(u)lensis) abbas. Henricus dux Saxonie. Henricus dux Karinthie. Bertoldus dux Burchundie. Otto palatinus Bavarie. Odacker marchio. Hermannus marchio et alii plures.

§ Signum domini Friderici Romanorum (M.) regis invictissimi. §

Ego Arnoldus Colon(iensis) archiepiscopus⁷ et Ytalici regni⁸ archicancell(arius) recognovi.

1) Undeutlich, weil das Pergament schadhafft. 2) Sic! 3) Dieses Wort undeutlich, weil ein kleines Loch im Pergament; mit Rücksicht auf Campi, Hist. Eccl. di Piacenza II, 9 wohl zu ergänzen 'Petro', welcher wenigstens 1157 4. Mai als Abt genannt wird. 4) Corr. aus 'suorum-que successorum'. 5) Corr. aus 'fratrum'. 6) Corr. aus 'familiantium'. 7) 'archiepc'. 8) Corr. aus 'regno'.